

senfu propugnatas uti pietati adversas fugillare : cum il non minus Pietatis ac Religionis, quam Doctrinae Magistri fuerint. Quin etiam opto, ut qui speciose pietatis obtentu melius aliquid sentire sibi putant, quod Christi Dignitatem, ac Majestatem magis deceat, tanta in Christum pietate, ac religione ferveant, quanta exarserunt Ecclesia Patres, tamque gratum Christo obsequium

exhibeant, ac illi exhibuisse perhibeantur. Hactenus contra Fidei, ac Religionis hostes pugnavimus. Tempus est, ut & in illos arma vertamus, quos Angelico Praeceptori, ejusque Scholae adversarios in hac, de qua agimus, Divina Incarnationis materia experiri dolemus. Erit hoc subsequentium Dissertationum amplissimum argumentum, uti ab initio promissimus.

DISPUTATIO SECUNDA.

Adversus Angelicam Scholam Adversarios.

PRÆLECTIO PRIMA.

Seposita redimendi hominis, justaque satisfactionis exigenda voluntate, nulla fuit Incarnationis necessitas.

Quod in Republica optime constituta servari solitum monet Julius Cæsar in Commentariis; ut scilicet primam hostiles exterarum Gentium impetus dissipet; tum vero civium contentiones, motus, ac rixas amice componat; id ego in Theologicis Tractationibus facitare soleo; atque in illa; qua versor in presentiarum, de Deo, Homine commentatione exequi pro viribus aditor. In Judæos Incarnationis Mysterium tollentes ex integro, nec non in Hæreticos ejusdem integritatem minuentes, aut deturpantes majestatem, jam arma convertimus; illisque, uti professo Christianæ Republicæ hostes exagitavimus. Jam tandem in eos studium omne, curamque conferimus, qui in ipso Catholice Ecclesiæ sinu positi mutuis secum rixis, & contentioibus committuntur. Quamquam enim in Christianæ Fidei summam non lædant; sed contra factam illam, testamque in omnibus velint; minus tamen probari a nobis potest, si in agendis Fidei proximis controversiis, minus recta, tritaque via incesserint aliqui; & ab Angelico Praeceptore, cui nos studia consecravimus, procul abierint.

In Scholæ itaque controversias de Deo Homine inter Theologos agitas ingredimur hodie: ut postquam Ecclesiæ Fidem in tuto posuimus, Angelicæ Scholæ asserta ab illius osoribus vindicemus. Neque tamen, deat id aggredimur ullus nobis est animus, singula minutim dispungere, quæ a quibusdam supinis Theologatris, suo, Lectorumque otio plus nimio abientibus disputantur, sed ea ex omnibus seligemus, quæ veri nominis Theologos deceant; quæque ad exactam Theologiæ limam juxta Divinas Scripturas, & Traditiones exigi facile possint. Et quis enim mihi non æque succenseat, si Theologos de trivio imitatus inanum argutarum supellectilem, quæ Sacram Doctrinam fœde, ac turpiter inquinant, in hoc limen intulerim? Si quaestiones futiles, ac inanes, vix dignas lucubrationibus anticularum agitarim? Si buccis typho crepantibus, quasi alta de tripode Mytheria revelaturus disputaverim, num Deus Materiam primam uniri possit? Num accidit? Num naturam rationis expertem assumere quiverit? An medio nexu, glutineque aliquo amba in Christo Naturæ coaluerint? Num Deus prius totum, quam partes assumperit? An humores etiam fœdi, corporisque purgamenta ad Hypostaticæ Unionis dignitatem erecta sint? Aliasque id genus nugæ, quas

tanto illi supercilio consecantur. Hoccinè nos Theologiam appellabimus? An non verius nugam, audacemque Dialecticam, de rebus sacris stulte, atque iuaniter delirantem?

Is ergo procul ablegatis fordidum Scholarum purgamentis, dignas sacro confessu, dignas Theologo, dignas Deo controversias amulabimur; mislaque argutarum farragine, qua sacram Doctrinam in profanam Dialecticam transformantur Recentiores bene multi, veri nominis Theologiam commentabimur Scripturis, Conciliis, ac Patribus nixam. Si quid vero ratione delibabimus, ita sobrie, ac temperanter res ageatur, ut nec Philosophiam plus æquo luxuriari patiamur, nec famulam dominari nobis, aut jura ponere permittamus.

Prima itaque de Incarnationis Necessitate controversia ad examen veniat; num videlicet Deum Hominem fieri necesse fuerit? qua in re ita sine mora pronuncio: si rem per se se spectemus, ac seposita redimendi hominis, justaque satisfactionis exigenda voluntate, Deus nulla necessitate factus est Homo.

Ita sane Scripturæ docent, secundum quas uni Dei Voluntati, Misericordiae, Charitati tributur, quod carnem induerit: adeoque omnis ab eo necessitas procul fuit: Joan. 3. : Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam: ad Rom. 5. : Commendat autem Charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: ad Ephes. 2. : Deus autem, qui dicitur est in misericordia, propter nimiam Charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convulsit nos in Christo. Charitatis igitur, non necessitatis opus Incarnatio fuit.

Suffragantur Ecclesiæ Patres, qui hoc ipsum dogma ex divinis Litteris eruerunt, validisque rationibus confirmarunt. Horum Chorum ducit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. in Pascha; Ubi cum docuisset, Deum Patrem Redemptionis nostræ pectum a Christo Domino suscepisse, addidit e vestigio: Non tamen quod perierit, aut eo opus habuerit, verum propter consilium, & administrationem, & quia per humanitatem a Deo assumptam Homini sanctitatis afferri oportebat.

Sequitur Augustinus lib. de Agone Christiano cap. 11. sunt, inquit, Stulti, qui dicunt, non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet Hominem, & nasceretur de femina, & a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicitur, poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestra stultitia displiceret. Hominem igitur alio pacto liberare Deus poterat, Augustino judice.

Ei-

Eidem hac parte concinit Leo Magnus Sermone 2. de Nativitate Christi: Verax, inquit, Misericordia Dei, cum ad reparandum Humanum Genus, ineffabiliter ei multa suppeterebant, hanc posissimum consilium viam elegit, qua ad destruendum opus Diaboli, non virtute uteretur Potentia, sed ratione Justitia. Si porro multa alia reparandi hominis rationes suppetebant, nulla itaque fuit carnis assumenda necessitas.

Claudit Agmen Gregorius cognomento Magnus lib. 20. mor. cap. 36. cum posset, inquit, nobis etiam non moriendo concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit. Et infra paucis interjectis: An non in Divinitatis sua divinitis, nobis invisibilis permanens, miris nos potius virtutibus ditare? Sed ut ad internas divinitas rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus.

Ex his Patrum Oraculis ratio eliquatissima petitur, quæ controversiam istam totam facile dirimat. Si etenim Deus aliis miris modis liberare hominem potuit, quæ illam amabo necessitas adigebat, ut & Homo ipsemet fieret?

Quinam porro miri illi modi fuerint, quibus liberare hominem poterit, si quis rogetur, indicabo. Primo offensam gratis dimittere Deus poterat, nullo sibi pretio exsoluto. Ecce enim Deus summe bonus id ex intimo Misericordiae sensu prestare non posset, quod homo nequam interdum faciat, debita liberaliter relaxando? Secundo; si omnino gratis laxare debitum Deus nollet, eam saltem satisfactionem accipere ab homine potuisset, quæ non totam, sed aliquantulum debiti partem exhauriret. Nulla etenim creditorum necessitas, nulla lex adigit, ut integram debiti solutionem exposcat: Sed cedere de jure suo potest; maxime ubi debitorem solvendo impariter novit. Quæ omnia brevi complexus est D. Athanasius Orat. 3. contra Arianos: Poterat etiam, inquit, sine ullo adventu Christi, solvummodo loqui Deus, & solvere maledictionem.

Sed & quid illa moramur? Fac si lubet, si libet, hominem non alio pacto liberari a peccato posse, quam obita Dei. Homini Redemptionem: Necdum illuc consequens esset, Deum fieri Hominem debuisse: cum captivum hominem, & peccatis onustum, & debitis gravatum deserere, nullaque libertate donare potuisset. Annon enim ita se in peccatorem hominem gerere Deus potuit, uti se in Angelos gessit, quos suo foderet delicto perenniter voluit? An forte redimi Homo meruit? Annon potius deserit, uti deseruit est Angelus? Nulla itaque ad eum redimendum necessitate Deus factus est Homo. Hanc rationem tetigisse videtur Sapiens cap. 12.; dum in Deum converso Sermone ita fatatur: Quis tibi imputabit, si perierint Nationes, quas tu scissisti? Non enim est alius Deus, quam Tu. Satis videlicet innuens, Deo succedere neminem posse, si universum hominum Genus suo foderet peccato permisisset: Cum id vel solo supremi Domini jure, ac titulo possit.

Hinc facile colligas, quid sibi velit Ecclesiæ Patres, Cyrillus Alexand. lib. 5. Theol. cap. 7.; S. Athanasius Oratione de Incarnat. Verbi pag. 59. & 60.; ac demum D. Anselmus lib. 1. Cur Deus Homo cap. 4. : qui necessarium hominis a peccato liberationem ostendunt, de Dei opus sua perfectione minutum, & Originali culpa detritum remaneret. Necessitatem scilicet intelligunt non stricti juris, sed congrui; quæ Deum non adigar, sed invitet, majoris decoris, dignitatisque gratia. Ecce enim, si rem summo jure pensare velimus, cur, inquam, qui Angelum æternæ Sapientiae opus absolutissimum sua perfectione minutum, peccato inquinatum osculo, iustoque judicio di-

Sorry Tom. IV.

misti, hominem pari pede pulsare non poterat; eodemque damnationis vinculo irretitum relinquere? Quæ ergo de Homine aliter quam de Angelo statuendi necessitas dicitur, decentis, ac congrui juris est; non stricti, & absoluti. Cujus quidem rationem Patres indignantur; quod Homo præ Angelo venia dignior esset, tum ob Tentatoris astutiam, qua turpiter lusus est; tum ob minoræ Innocentiæ custodiendæ prædiâ ab Deo Conditoris suscepta; quibus sane multis eum titulis Angelus præcellerat.

Sed erit, qui contra statutam veritatem arguetur hoc pacto: Iniquum prorsus est offensam sine iusta compensatione dimittere: sic enim inultum impunitumque crimen esset. Homini ergo peccatum gratis a Deo dimitti non potuit; atque ita necesse fuit, Deum ipsum Hominem fieri, qui dignam solutionem exsolveret.

Id nos perfractæ negamus, si de supremo Judice sermo fiat, ad quem præsertim offensa pertinet, quique ab delincente singulariter læsus est. Is etenim debitam poenam condonare supremam, qua valet, auctoritate potest; nullique injuriam irrogat. Quid enim tam liberum, quam de jure suo cedere, remque sibi debitam non exigere; præsertim si rationes magni momenti præsto sint, quibus ad debitum relaxandum invitetur Judex; qualis forte esset Clementiæ, ac Misericordiae exercendæ gloria; qua nihil Deo dignius excoerari a quoquam potest? Quamquam ergo ex ea iusta compensationis exigenda ratione inferre liceat, deere quam maxime, atque congruere Incarnationis Mysterium, quo uno iusta poena solvi Deo potuit; nemo tamen inde colliget, Deum absolutam necessitate adactum esse, ut vel iustum ab homine poenam sumeret, vel humanam peccati eluendi causa Naturam assumeret.

Nec alio certe sensu intelligendi veniunt nonnulli Ecclesiastici superiorum temporum Tractatores; qui Christi Redemptoris satisfactionem necessariam profiterentur, ne Deus iusti Judicis officio deesset. Vel enim de necessitate non absoluta, sed hypothetica sermone habent; ut nempe Christi Salvatoris satisfactio necessaria supponatur, si dignam delicto poenam exigere Deus velit, uti re ipsa voluisse certum est; vel necessitatis nomine prudentem magisque Divinæ Sapientiae congruentem legem appellant; quam necessitatem secundum quid Theologi de Schola vocitare solent. Neque enim sutori dubitatio potest, quin & Deo, & Humanæ Naturæ congruerit magis: Deo, inquam; quia iusta delictorum poena a Christo Domino perfoluta Justitiæ vindicis partes factas, testisque servavit; novaque in hominem Charitatis, ac Misericordiae genus explicuit: Homini; quia debitum tributum exsolvisse jam dicitur, ex quo illud Deus Homo factus obita morte perfolvit.

Reponet forte nonnemo, Deum necessario factum Hominem, sin minus salvandi, ac redimendi hominis necessitate; saltem novæ gloriæ obtinendæ titulo: nam & Filius factus Homo novam a Deo Patre sortitus est gloriam; ipseque etiam Deus Pater novum gloriæ cumulum ex Filii Humanitate suscepit. Cæterum cum paria utrique gloria adventitia duntaxat, exterita, atque, ut Schola loquitur, accidentaria solum fuerit; nulla sane ad eam sibi eo titulo comparandam necessitate ducatur, satis superque congenita sibi gloria felix, nulliusque novi nominis, aut tituli cupidus.

Hodie velutum more levius deputavimus; quod illud nobis obtigerit disputationis argumentum, quod a nemine Theologorum clari nominis vertatur in dubium. Ampliorem nobis di-

A a

cen-

cendi materiem ministrabit controversia die craftina resolvenda: Num saltem ad exhibendam Deo dignam pro peccatis hominum solutionem ita necesse fuerit, Deum Hominem fieri, ut hominum nemo quibuslibet gratiæ donis ornatus satisfacere Deo, injuriamque importatam rescire potuerit? Quod Deo favente in sequenti prælectione præstabitur.

PRÆLECTIO II.

Divine Justitiæ condignam satisfactionem pro importata per peccatum injuria a puro homine exhiberi minime potuisse; sed hoc ab homine Deo duntaxat præstandum esse, asseritur, propugnatur.

Nulla Deum necessitate ductum, ut Homo fieret, hesternæ luce dicebamus; quod tunc rem totam per sese, & ex propriis meritis pensarem. At nova jam rerum facies inducitur, ubi sacra aeternæ Justitiæ Consilia introspicimus, quibus dignum sibi admitti delicti pensum exsolvi voluit; dignam importatæ injuriæ penam dari. Hinc etenim fumendæ carnis orta Deo necessitas, ut quam exsolvere penam purus homo non posset, solveret Homo Deus. Est hoc Angelicæ Scholæ dogma, vere Angelicum contra Subtile. Pugnant utrinque doctæ capita, utriusque palestræ dictatores. Utri dignus de Deo sentiant, sententiæ suæ ad exactos veræ Theologiæ canones veteris exigant, expendere nostrarum hic partium arbitramur.

Et certe, tamen si ego non essem, qui dato Angelicæ Scholæ nomine, meam placitis ejus fidem Sacramento obligarim; in hanc ramen sententiam velis, ac remis accederem ob id unum, quod Scripturis, ac Patribus ita consentiat, ut nulla magis. Ecquid enim inculcatum sapius, frequentius confirmatum, quam puram hominem, quibuslibet gratiæ donis cumulatum, dignum Divinæ Majestatis pensum ad sua, alienaque delicta exhaurienda, rependere nequivisse; & in unius Dei Hominis potestate fuisse, ut justam vice nostra penam exsolveret?

Totus in hoc statuendum dogma incumbit Genitium Apostolus, cap. 3. ad Rom. Ubi postquam universos homines ad salutem consequendam minus sufficientes ex Sacrarum Scripturarum Oraculis demonstravit, ad Christum subinde sermonem converterit, tamquam solus ille condignum Patri munus obtulerit, justumque nostrarum noxarum pensum suo cruore persolverit: *Quem proposuit, inquit, Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius, ad ostensionem Justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum; in Suggestione Dei, ad ostensionem Justitiæ ejus in hoc tempore.*

Apertius vero, semotisque ambagibus Ecclesiæ Patres in hoc idem dogma conspirant. Una enim illorum vox est, non aliter potuisse homines liberari, & peccatorum reatu abstergi, quam per eum, qui Deus simul, & Homo esset. Quod non nisi de liberatione ex condigna delicti Solutione profecta intelligi posse, planum est; cum alias gratuita condonatione, nudaque relaxatione liberati absolute homo potuerit; uti hesternæ luce commentabamur.

Ita plane D. Athanasius lib. de Incarn. Verbi: *Cujus Opera, inquit, ad recuperandam istam (gratiam) requirebatur, nisi solus Verbi, quod ab initio omnia ex nihilo considerat? Ejus enim fuit, id quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere: & pro omnibus id, quod æquum, rationique consentaneum erat, Patri præstare. Et Oratio 2. contra Arianos: si enim Dominus, inquit, Homo factus non fuisset, nunquam nos a peccatis vindicati*

ex mortuis resurrexerimus. Quibus Verbis uni Homini Deo liberandi hominis potestatem asserit; justique pro delictis nostris pretii persolvendi.

Subscribit S. Basilii cognomento Magnus, facrum illud Psal. 48. Dicitur expendens: *non dabit (homo) Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ: Unde ita colligit S. Doctor: Neque enim fratrem in redemptionem querit, sed unum aliquem, qui nostram exsuperet naturam. Non item hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare potest. Quæ usque adeo aperta sunt, ut nulla nostra commentatione sit opus.*

Suffragatur & S. Ambrosius in Psalm. 48. super illa verba *Frater non redimit, redimet homo: Quia sicut unus Deus, inquit, ita & unus Mediator Dei, & Hominum Homo Christus Jesus. Ipse est solus, qui redimet hominem, vincens pietate germanos; quia pro alienis sanguinem suum sudat, quem nemo potest offerre pro fratre.*

Quibus gemina sunt, quæ Augustinus in *Enchiridio ad Laurentium cap. 108.* habet, ut probet, neminem posse in homine gloriarî: Id enim æque adeo verum esse contendit, ut ne in Christo quidem gloriarî aliquis posset, nisi & ipse Deus esset: cujus rei hanc e vestigio rationem subjungit: *Nam neque per ipsum liberaretur unum Mediatorem Dei, & hominum hominem Jesum Christum, nisi esset & Deus. Quo spectat etiam pervulgata illa Leonis Magni Sententia, quam Sacris supplicationibus insertam Ecclesiæ voluit, ex 1. Sermone in Christi Natale. Nisi enim esset verus Deus, non adferret remedium: nisi verus esset Homo, non preberet exemplum. Ut hinc plane liqueat, satisfactionem integram, debitamque condignam non nisi ab Deo Homine persolvi potuisse.*

Neque vero abstrusiorum Scripturarum Mytheriarum Patribus opus erat, ut in hanc Sententiam communi calculo conspirarent: cui statuentæ vel ipsa sola humana Ratio communibus Fidei principis imbuta sufficeret. Quid enim condignæ satisfactionis nomine venit in mentem, nisi ea, quæ illatæ injuriæ plene respondeat, tantumque dignitatis læsæ Personæ restituit, quantum abstulit injuria irrogata? At quantalibet gratia donetur homo, nunquam exhibitæ satisfactio irrogatæ Deo injuriæ respondebit, ejusque læsam Majestatem rescire ex integro poterit. Seu enim illata Deo per peccatum injuria infinitæ simpliciter gravitatis esse existimetur, uti Theologis sanioribus visum est: seu ad eam infinitatem prope tantum accedat, uti aliis probatur magis; nudi hominis satisfactionem semper excedet; utpote modis omnibus finitam, & exilibus humanæ conditionis limitibus circumseptam.

Illud enim vero injuriam inter, & satisfactionem discriminis interest; quod prior gravitatem ex læsæ personæ Majestate fortiat; altera ex satisfactientis excellentia crescat, aut ex ejusdem vilitate minuatur. Rem in exemplo ponamus: da virum de plebe, qui Principem verbo lædat; tanto gravior injuria reputabitur, quanto Princeps tabernarium, & caprimungum antecessit: cum tamen vice versa, si viliis ille homuncio importatam injuriam voluerit rescire, eo vilior satisfactio censetur, quanto is comparatione Principis vilescit, atque fordescit. Sic ergo cum Deus hominem infinitis titulis antecellat, tantum injuria Deo ab homine importata, ex læsæ Majestatis gravitatis habebit, quantum satisfactio Deo ab homine rependenda ex satisfactientis abjectione & humilitate vilescit. Quo fit ut nudus homo parem importatæ injuriæ satisfactionem Deo rependere nunquam possit.

Rationem hanc subministrat Doctor Angelicus

3. part.

3. part. quæst. 1. art. 2. ad 2. inquit: *Peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinæ Majestatis: tanto enim offensæ est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut æquus satisfactientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, & Hominis existens.*

Hinc elisum manet adversæ partis fundamentum: ita quippe videtur sibi pro more subtiliter disputare: Qui tantum læsæ Personæ restituit, quantum abstulit, is ex æquo satisfacit: porro, subjungunt, homo per actum Charitatis tantum Deo restituit, quantum peccando abstulerat; cum Supremi Domini, ac Finis ultimi titulum, quem peccando abstulerat, amando rescirat: is ergo Deo Maximo satisfacere ex æquo potest.

Hoc, inquam, in antecessum elisum est Argumentum. Nedum enim in referenda satisfactioe factus est, ut quis rem ablatam ex integro restituit; sed ut injuriam insuper furto importatam plene rescirat: alias restitutio nuda erit, non satisfactio. Fac exempli causa, virum de fœce Regi mille aureos suffurari: Is non illico injuriæ satisfactioe reputabitur, si totidem restituerit, nisi latam injuriam insuper rescarit. Sic ergo peccator Deo ex æquo satisfacisse non reputatur, quamquam reditiva Charitate illam ipsam Supremi Domini dignitatem, quam ei peccando sustulerat, restituerit: quia necdum, rescarto, ut ita dixerim, furto, injuria rescartur. Idque multiplex de causa.

Primo: quia licet amando se Deo subdat, cujus Imperium peccando excusserat; atrocior tamen Deo fuit ea Divini Imperii detrectatio, quam honorifica illi esse possit ejusdem Imperii recognitio. Secundo: quia dum Divino Imperio pareat homo, non deprimitur, non de jure aliquo cedit, sed officium suum implet: nec minus illum Deo subesse oporteret, tamen nihil in eum peccasset unquam; ejusque majestatem nec leviter offendisset. Cum tamen contra, Deus hominis injuria læsus multum sui juris, ac dignitatis amiserit, si non physice, quoad moralem saltem æstimationem.

Non absimiliter elisa corrui altera eorumdem de schola subtili Theologorum Machina, qua hominem solvendæ satisfactioe parem eo præsertim momento nituntur ostendere, quod peccatum infinita, ut ajunt, simpliciter gravitatis non sit. In quam rem varia Patrum, ac potissimum D. Thomæ momenta congerunt; rationes perinde Theologicas, ac Philosophicas adducunt. Sed demus id, ut libet ut lubet, tamen oppido falsum existimem; demus, inquam, peccatum offensam Deo non importare simpliciter infinitam; nequam tamen hominem eidem rescariendæ parem esse concederemus: cum & id aliunde certo constaret, injuriæ gravitatem satisfactioe valorem longe admodum superare; utpote quæ eadem mensura crescat, qua minuitur ista; tantoque gravior ex Divinæ Majestatis excellentia censetur injuria, quanto ex creatæ conditionis vilitate minor satisfactio reputatur. Quocumque ergo se vertant, Angelicæ rationis vim non elidunt.

At inquit. Quamquam homo ingenicis corruptæ Naturæ viribus, ac native forti commissus vilior sit, quam ut Deo satisfaciatur; ex quo tamen Gratia sanctificantis munere dopatus in Divinæ Naturæ consortium affurgit, exutaque Vilitate, Dei consors effectus est, quidni tunc æquum Divinæ Offensæ pensum exhibeat? Sed & id jejunum nimis, & elumbe est. Fac enim hominem uberrima, quantum liberit, Gratia perfundi, in Dei Benevolentiam, Regnumque transferri; nunquam tamen indivulsam Creaturæ conditionem

Serry Tom. IV.

exuet: fac illum Gratia Deum esse, Natura certe nunquam erit. Atque hinc duo ista, quæ paulo antea memorabam, necessario consequentur: primum; obsequium ab eo Deo præstitum satisfactioe titulo, tantum Deo honoris non allaturum, quantum injuriæ attulit Divini Imperii detrectatio peccato mortali penitus indivulsa: secundum; hominem nihil obsequii præstare Deo Optimo posse, quod ei infinitis aliunde titulis rependi non debeat. Quæ duo satisfactioe condignitatem plus satis enervant.

Numquid ergo, repones, Deo nos bonis Operibus non satisfacimus, justumque noxarum nostrarum pensum exsolvimus? Id si negemus, in Calvini errorem dilabimur. Ita plane, At non ex ipsis bonis Operibus merita, ut e penu nostro proficiuntur; sed a Christi satisfactioe cumulantur. Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, ut habetur 1. Joan. cap. 1. *emundat nos ab omni peccato.* In eo, ac per eum satisfacimus, a quo fructus digni poenitentia vim obtinent. Is vitis est, nos sumus palmites. Quare si is factus non esset Homo nostrorumque delictorum penas nequaquam suo sanguine persolveret, satis in sese virium non haberet hominum merita, ut Deo integre satisfacerent.

His ita constitutis, facile quisquis intelligit, quid de altera admodum affini controversia pronuntiandum: num homo nudus Deo digne pro alterius noxa satisfacere queat? Cum enim minus homini pro altero supplicanti concedatur, quam si pro semetipso preces offerat; nemo non videt, multo minus pro altero satisfacturum illum, quem dignæ pro semetipso satisfactioe offerendæ imperem demonstravimus.

Scio dicturos aliquos, posse quempiam a Deo cæterorum hominum caput, principemque constitui, uti plane Protoparentem constituerat ea lege, ut Gratiam membris promereri possit. Bene id sane: Verum quid inde ad dignam pro aliis satisfactioem exhibendam? Minus enim ad meritum, quam ad satisfactioem desiderari notum est, quia satisfactio in gravibus offensis æqualitatem læsum inter, & satisfactientem expolitat; meritum contra subjectionem merentis exigit; satisfactio illi est, si moralem quandam æqualitatem inter opus meritorium, & præmium præferat: quæ sane inter opera hominis, Capitis dignitate ornati, gratiamque membris demerendam intercederet. Uti plane Dux strenuus heroico facinore gratiam alteri læsæ Majestatis reo promereri ab Rege potest; minime tamen satisfactioe, Regique importatæ injuriæ gravitatem condigna satisfactioe diluere. Quamquam non desint primi subfelli Theologi, qui fieri posse negant, ut quis ita cæterorum hominum Caput constitui a Deo possit, ut gratiam illis post lapsum valeat promereri: Quia ad Gratiam post lapsum alteri demerendam, tanti esse meriti debet homo, quanta gravitatis esse supponitur injuria irrogata; quod puræ Creaturæ accedere nequaquam posse, satis hæcenus demonstravimus.

Jam qualis, quantaque fuerit Dei facti Hominis satisfactio, quærendum incumbit. Erit id proxima Exercitationis Argumentum amplissimum.

PRÆLECTIO III.

Christi Domini pro hominum noxis Deo exhibitam satisfactionem non solum æquam, sed superabundantem, moralique estimatione simpliciter infinitam fuisse demonstratur.

Quantum humanæ facultatis tenuitatem, hæsterna luce depressimus, ut eam digno nozarum penso Divinæ Justitiæ persolvendo imparem probarem; tantum hodie Christi Virtutem, ac Meritum commendabimus; qui quod tenuitas nostra non poterat, cumulatissime refarsit. Non morabor hic scrupulosus varias de Christi satisfactione Theologorum opiniones. Præmonere hic satis erit, cum Schola subtili rem nobis esse; quæ minus, iudicio quidem nostro, Christi Servatoris Merito, Virtutisque videtur tribuere. Hæc etenim, ut paucis exponam, Scoto, eisque discipulis inhaesit opinio, Christi satisfactionem æterno Patri pro delictis hominum exsolutam, minus suapte virtute, cognitoque valore sufficere; sed una Patris acceptatione, qui ea se contentum exhibuit, illamque pro nutu suo ratam habuit. Adversis contra vestigiis incedit Angelica Schola, dignisque Christi dignitati consultum vult. Quocirca satisfactionem ab eo pro noxis hominum exsolutam, non modo externo Dei acceptantis favore, gratæque ratiabitione sufficientem existimat, sed & ipsa quoque interna, congruæque dignitate, atque valore: quin imo, non æquum duntaxat a Christo solum pensam proficitur; verum & superabundans, ac morali estimatione simpliciter, ut Schola loquitur, infinitum. Utri melius sentiant, perpendamus.

Scripturam si consulamus (uti profecto consulere necesse est, si volumus esse Theologi, ut debemus) adfuitantem Scholæ Thomisticæ reperimus. Tantum enim abest, ut solutionis a Christo date valorem, & *in ipso*, ex libera Dei eadem ratam habentis acceptatione repetat, ut contra potius id totum ex eisdem congenitis meritis, usque altius, ac sublimius exaggeratis perpetuo derivet. Hinc copiosam Redemptionem Regis Vates appellat *Psalm. 129. Apud Dominum Misericordia: & copiosa apud eum Redemptio. Superabundantem vocat Apostolus ad Rom. 5. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit Gratia. Et eodem capite paulo antedixerat: sed non sicut delictum, ita & Donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis Gratia Dei, & Donum, in Gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Excedentem nuncupat Lucas Evangelii sui cap. 9. & dicebant excessum ejus, quem compleretur erat in Jerusalem. Cum contra, nisi verbis abuti lubeat, diminutam Redemptionem, tenuatam Gratiam, decurtatam Passionem verius appellaveris, si interna illi satisfaciendi ex æquo energia non inerat, & ab externa Dei dignatione, valoris defectus Suppleri debuit. Quid etiam, quod Christi Satisfactionem emptionis titulo frequentius indigitant Sacri Codices? *I. Cor. 6. Empti estis pretio magno: 2. Petri 2. Eum, qui emit eos, Dominum negant: Apoc. 14. Et cantabant quasi canticum novum. . . . qui empti sunt de terra: cum tamen ea emptionis ratio sit, ut æqua, parique solutione fiat; alias non emptio, sed largitio verius appellabitur.**

Luculentius difficultatem omnem absolvit Apostolus ad Hebræos cap. 10., ubi Sacrificia veteris Legis cum Crucis Christi Sacrificio conferens, veterum Victimarum inefficaciam, Novæque in ara Crucis oblatæ vim, atque energiam ostendit:

Impossibile enim est Sanguine taurorum, & bivarum auferri peccata, Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisse: corpus autem aptasti mihi. Porro si externa duntaxat acceptatione Dei, Christi Sacrificium exhauriendi peccati virtutem habuit, non ingenito valore, & energia, nihil hac sua antithesi confecerit Apostolus, cum ipsa quoque veteris Legis Sacrificia externa Dei acceptatione delendi peccati efficaciam obtinere potuissent. Facit hic maxime Jobi patientis exemplum, quem Patres universi, uti Christi in Cruce morientis typum exhibent. Quid etenim est, quod cruciatus suos in statera una cum delictis appensos graviore reputandos affirmabat? Nisi quia Christi cruciatus, cuius ille nomine loquebatur, delictorum nostrorum gravitatem excederent. Nostra quippe delicta Christi sua dicit, quia hæc in se fumpsit, factus pro nobis maledictum, ut ait Job cap. 6., Ut nos inveniremur Justitia Dei in ipso: Utinam appenderetur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera. Qua si arena maris hæc gravior appareret. Et erit post hæc, qui effusit pensum a Christo Domino persolutum minus suapte merito, ingenitoque valore delictis hominum extitisse? Abest.

Quid vero, si Patrum Choram appellem? Una illorum vox est, una sententia, plus Christum passum esse, quam delicta hominum postulerent; pensum ultra, quam jus exigeret, persolvisse; charius humanum genus redemisse, quam decerneret juris apices: ut plane ima fumis decerere videantur, qui ingenitum, internumque Dominicæ Passionis Meritum infra nostrorum seclerum gravitatem demittunt. Augustinus vel quisquis sit auctor *Serm. 152. de Passione Domini 4. in Appendice pag. 268. Tom. 5. Indubitanter enim credimus, quod totum mundum redemis, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptio mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter Redemptum, & Redemptorem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Leo Magnus Sermone 12. de Passione: Effuso Christi Sanguine validum factum est donum libertatis, quam debuit servitutis. Et Serm. 1. de Ascensione Domini: ampliora adepti per ineffabilem Christi Gratiam, quam per Diaboli miseriam invidiam.*

Quamquam non est, cur Patrum oracula diligentius congeramus; a quibus in antecessum præjudicata res est; dum de agitata materia tertius controversia pronunciantur. Cum enim nudum hominem solvendæ condignæ satisfactioni imparem judicant, necessariamque Dei Hominis Solutionem idcirco dixerint, consequens profecto est, Dei Hominis Solutionem ex intimis meritis patrem delictis eluendis extitisse; nec externa duntaxat Dei Patris acceptatione sufficere: Nam & hoc pacto, externa nimirum ratiabitione, nudi hominis pensum potuisse sufficere, nemo negat; nec ipsi quidem Scotistæ dissentiant; qui idem de Christo, ac de nudo homine (quantum ad satisfactionis sufficientiam attinet) pronuntiant, atque definiunt. Quod an ferendum, probandumque sit, æqui bonique viderint.

Mihi quidem controversiam hanc totam diremisse videtur Clemens VI. in Extravaganti Unigenitus de penitentis, & remissionibus; Ubi exerte decernit, modicam guttam Christi Sanguinis, propter Unionem ad Verbum sufficere pro redemptione totius humani Generis.

Certe si redimendi humani generis sufficientia, quæ vel uni Christi Sanguinis guttula inerat, ex ipsa ejus cum Divino Verbo Unionem proficiscitur, ex ingenita igitur dignitate, atque valore vim totam obtinet Christi Domini satisfactio;

NON

non ab externa Dei satisfactionem ratam habentis acceptatione, atque favore.

Atque hinc quidem efficacissima ratio petitur, qua statuta veritas ineluctabiliter demonstratur. Illam enim Satisfactionem ex ingenitis, propriisque meritis condignam, imo superabundantem vocitamus, cuius valor morali existimatione gravitatem offensæ non æquat modo, verum etiam exsuperat: Porro Christi Domini Satisfactio Offensæ Deo illatæ gravitatem morali estimatione non æquat modo, verum etiam exsuperat: enim vero illatæ offensæ gravitas inde oritur, quod Deo illata sit; Satisfactio vero Christi ipsius Dei Satisfactio censetur. At Dignitas Personæ satisfaciens plus valoris, ac pretii in actum Satisfactionis transfundit, quam ex Dignitate læsæ Personæ offensæ ipsa gravitatis induat, & malitia: prior enim intimus Satisfactionis actum ingreditur; quia ab ipsa Persona, ut ab interno, proprioque principio necessario progeminat.

Quocirca eos perperam cavillari videas, qui ut Christi Satisfactionis æqualitatem inficiunt, peccati infinitatem exaggerant. Si etenim, uti volunt, infinitam peccati gravitatem ponamus, ut libet, Christi Satisfactionem nihilominus abundantem, atque exuberantem nullo negotio conficiemus hæc vel una demonstratione Theologica. Gravitas offensæ mortalis oritur ex ejus unionem morali cum Divina Majestate læsæ; valor autem Satisfactionis Christi petitur ex unionem physica Verbi Divini cum ipsa Humanitate actum Satisfactionis elicentis; sic enim in Satisfactionis meritum influit. Porro valor ex unionem physica, ac reali progeminans excedit prudenti estimatione offensæ gravitatem ex unionem duntaxat morali sobolescentem: Christi igitur Satisfactio mortalis peccati gravitatem excedit, tametsi hæc infinita simpliciter afferatur: cum alias nemo non videat, intimiore conjunctioreque habitudinem versari inter Operationem, & Operantem; quam inter peccatum, & eum, in quem peccatum admittitur; quandoquidem intimus actus principio, suo conjungitur, quam objecto.

His nixa fundamentis, altius erigitur Angelica Schola: nec modo Christi Satisfactionem abundantem, atque exuberantem agnoscat; verum etiam simpliciter, ut Schola loquitur, infinitam. Quo etenim major est Personæ satisfaciens Dignitas, ac Majestas, eo major est Satisfactio: Satisfactio quippe honoris, ac reverentiæ exhibitione perficitur; quæ sane eo major, digniorque reputatur, quo altior est Persona ipsa reverentiam, atque obsequium exhibens. Quis porro neget, Christi Personæ Dignitatem, ac Majestatem esse simpliciter infinitam?

Audio quid subtilis Scholæ proceres reponere soleant: nimirum, Christi Personam, utpote Divinam, infinitam Dignitatem ejusdem Satisfactionis allaturam, si ipsa per sese nullo finito accedente medio satisfaceret: Verum cum hæc non nisi Humana Natura media satisfaciatur, præpeditur, ac veluti coercetur, ne Dignitatem infinitam Satisfactioni communicet.

Cæterum non advertunt Viri alioquin subtilissimi, principium, quo medio suos actus exerit Divina Christi Persona, entitatem duntaxat actum elicere; totam nihilominus Dignitatem ab una Persona integre derivari; atque idcirco inde fieri, ut perfectionem quidem physicam infinitam, obstantem videlicet Humanitate, habere actus illi non possint; tametsi merito moraliter infinito persuantur. Porro nos non aliam, nisi moralem infinitatem Christi Satisfactioni adjudicamus.

Facit in hanc rem Clementis VI. definitio paulo ante laudata in Extravaganti Unigenitus. Postquam enim is modicam Christi Sanguinis guttam ob ejus cum Divina Persona unionem universi hominum Generi redimendo parem asseruit; tum subinde ad sacrum Ecclesiæ Theaurum, qui potissime ex Christi Meritis coalescit, gressum faciens subiungit: non esse de illius consumptione aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi. At si hæc simpliciter, ut Schola loquitur, infinita non esset, timeri profecto posset, ne peccatorum nostrorum multitudine tandem aliquando exhauriretur Sacer ille Ecclesiæ Theaurus.

Frustra vero reponas, satis esse, si Christi Merita secundum quid infinita supponantur, ut infinita peccatorum multitudine Ecclesiæ Theaurus exhauriri non possit; utpote quia, non nisi potentia, ac successione, infinita peccatorum multitudo esse potest. Id, inquam, frustra reponas. Cum etenim Theologi Divinam Omnipotentiam inde simpliciter infinitam ostendant, quod ad creaturas in infinitum producendas extendi possit, tametsi illæ non nisi potentia, ac successione infinita supponantur; Christi quoque Meritum infinitum simpliciter recte dicimus vel ob id unum, quod infinita peccatorum multitudo exhauriri non possit, ex Clementis VI. sententia.

Interea tamen, dum Christi actiones, quibus pro noxis hominum satisficit, infiniti esse meriti propugnamus, non eo pretendimus, ut putemus, Christi actiones universas infinito gaudere merito. Uti enim in Rege actus aliquos esse novimus, quos ex Regis conditione non edit, sed communi cæterorum hominum forte, exempli causa comedere, dormire, deambulare; qui nisi magis in eo dignitatis obtinent, quam in Rustico; ita in Christo duo actionum genera caute discernimus; alias; quas instar cæterorum hominum, atque etiam animalium forte, exerebat; alias ex Dei Hominis, Hominumque Redemptoris conditione profectas; ut Obsequiæ, Humilitatis, Religionis, Gratiitudinis actus, aliosque id genus, quibus Servatoris Officium adimplevit. Priores infinito merito gaudere nequaquam contendimus; nisi forte ratione motivi, ac finis: Posterioribus infiniti meriti Dignitatem arrogamus, ex Verbi Divini, unde prodibant, Excellentia sobolescentibus; hæcque solas esse contendimus, quas Theandricas, hoc est, Dei viriles Vultus appellat.

Reliquum est, ut adverse partis momentis satisfiat. Erit hoc proximæ Prælectionis argumentum.

PRÆLECTIO IV.

Satis fit adverse partis fundamentis.

Christi Domini satisfactionem altius in Scripturis, ac Patribus pro meritis exaggeratam hæsterna luce demonstravimus, ut eam exhauriendis Hominum noxis suapte valore, ingenitaque virtute parem abundantemque probarem; nec sola Patris acceptatione, & externa ratiabitione sufficientem ostenderemus. Ego nunc ad audientiam admittimus, qui plus æquo Christi meritis a nobis tributum existimant; pensamque ab illo pro noxis Hominum persolutam minus ex sese, ingenitaque dignitate sufficiens dicitare non erubescunt. Quid contra nos, statuatque a nobis doctrinam congerant, perpendamus.

Ac primo quidem, (quod observari, ne dicam lugeri, ab omnibus velim) nihil illi ex Scripturis, ac Patribus in medium proferant; quo nobis

nobis ora subliniant; sed suum omne ex Dialecticæ, prophanaque Philosophiæ tendiculis præfidiū accerunt; ut inanibus captiunculis nos aligent; & cornua, si id quidem permittimus, nobis assignant. Equid ergo? Numquam ne Theologiam profitentibus Theologos esse licebit? deseritque sacra Doctrina Canonibus, Scripturis scilicet, Patribusque, ad argutias, fustilesque quicquitas continuo provocabimur? quasi de Christo, non nisi ex Aristotele liceat disputare? Sunt hæc nostrorum temporum fata, Theologiam in Dialecticam formatam lugemus, querimurque quotquot sanas litteras, & bonam mentem amamus. Si quis enim dogma Catholicum ex Scripturis, Patribus, atque Conciliis desloraverit; si ex Veneranda Antiquitatis ætario asserita sua petierit, confirmavit, communierit; is otiosus commentator ab Auditoribus reputatur; ac veluti Magistellus tantum non in culinam detruditur. Si quis contra, missis Scripturis, ac Patribus rancidam argutiolam ex Dialecticæ spineto in medium tulerit; deque altissimis Fidei Christianæ Mysteriis, de quibus nec per somnium Philosophi cogitant, de Philosophorum latria proterve garrerit; is tanquam Cælum digito moverit, aut Hercules corthurnum induerit, acclamatur ob omnibus. Oh! Sic itur ad astra, papæ, & delictum mularum, & magnum Jovis incrementum? Et hic tamen, si recte calculum ponimus, uti prophanus, procal a Theologiæ sacris submovendus; alter velut Antistes summo folio collocandus. Hic nugacissimus arguator; ille solidissimus Ecclesiæ Fideique defensor.

Verum ne videamur inania tela formidare, quas illi de Schola Dialecticæ cantilenas occulant, auscultemus; & quidquid eis adversus Christi merito suos Aristoteles aspiravit, expendamus.

Hoc primum nos ariete pulsant: Si Christus æquam, imo etiam exuberantem pro noxis Hominum solutionem obtulit, frustra nova a nobis satisfactio petitur; utpote pro quibus integrum pensum a Fideiussore perfolutum est. Porro a nobis nova satisfactio petitur; non ergo Christus integre satisfecit.

Dignam profecto viris Catholicis argutationem. Eo ipso principio usus Calvinitas, ac Lutheranos in aperto est; nisi quod ii alia via suum iter aggressi, aliud ex jacto principio colligerent. Ita quippe argutabantur: Si Christus æquam, imo etiam exuberantem pro noxis Hominum solutionem obtulit, frustra nova ab nobis satisfactio petitur; ac Christus cumulativissime solvit; frustra igitur nova a nobis satisfactio postulatur. En novam ejusdem capitis caudam; idem tamen caput. Hoc itaque falsum, hoc ineptum, hoc ridiculum, frustra a nobis satisfactio novam postulatam iri, si Christus satisfecit ex integro. Quia non ideo adjuvenda venit hominum satisfactio, ut satisfactio a Christo exhibitæ defectum suppleat; id enim ne pia quidem aures ferre possunt; sed ut generalem Christi satisfactioem sibi ipsi specialiter applicent: Sicut ergo nulla fit injuria dolori, quo Christus pro peccatis nostris afflictus est, & lacrymis, quas pro illorum remissione fudit, tamen contritio, & lacrymæ poenitentium ad expiandæ delicta necessaria afferantur; nec ulla fit injuria orationibus Christi, licet orationibus nostris sit opus ad remissionem peccatorum, Divinaque Beneficia impetranda; ita nulla fit injuria satisfactioem Christi, quantumvis cumulativissima censetur, etsi satisfactio nostra ad Deum placandum, jure Divino necessaria prædicetur.

Eo confuso telo, aliud regerunt, ut Christi

satisfactioem valorem ingenitum, peccatorum gravitati impare probent. Offensa, inquit viri subtilis, irrogatur Deo, ut Deus est; at Christus non ut Deus satisfecit, sed ut Homo; non igitur satisfecit ex æquo, Verum quod submittitur, falsum est, Christum satisfecisse, ut Hominem; satisfecit enim ut Deus Homo. Cum ergo Christus, ut Deus homo tanta sit Dignitatis, ac Deus sola propria Natura subsistens; utpote qui assumptæ Humanitatis accessu nihil Majestatis amisit; infinitæ Dignitatis satisfactioem obtulit Deo Patri.

Reponunt illi, Christi satisfactioem non ita Deo placere, ac illi offensa displicere: quod ita sibi videntur subtiliter demonstrare. Christi satisfactio non tantum Deo placet, quantum illi sua ipsius Bonitas placeat; ad offensa tantum Deo displicet, quantum ei sua Bonitas placet; cum enim offensa, quantum potest, Dei Bonitatem destrueret conetur, tantum ei displicere necesse est, quantum placet ista. Verum in summo tota illa subtilitas abit, si vel id unum atenderit; offensam scilicet non physice, ac realiter Divinam Bonitatem destrueret, sed affectu tantum, moraliter, ac secundum prudentem æstimationem; e contra Divina Bonitas non moraliter tantum, sed realiter, physiceque infinita est. Quare tametsi Deus offensam impense habeat odio, execreturque quam maxime; minus tamen hæc illi displicet, quam sua illi Bonitas placeat.

Pergunt acuti homines: Si Deus per impossibile Deum offenderet, Christi Domini satisfactio, ut ut maxime hujus offensa gravitatem æquaret; utraque enim & Dei, & ad Deum esset; at gravitas offensa Deo per Creaturam irrogatæ major est gravitate offensa quæ Deo ab altero Deo irrogaretur: ejus quippe gravitas crescit ex vilitate Personæ offendentis: Christi itaque satisfactio gravitatem offensa Deo ab Homine irrogatæ non æquat. Subtiliter quidem excogitatum istud est; at assumpta propositio laborat æquivoco: Gravitas enim offensa Deo per creaturam irrogatæ extensivè quidem, ut Schola loquitur, major est gravitate offensa quæ Deo ab altero Deo irrogaretur; non intensivè. Cum enim offensa irrogata Deo ab altero Deo, ratione Personæ offensa, in ratione injuriæ infinita esset, eminenter, seu æquivalenter omnem gravitatem possibilem contineret; atque adeo offensa Deo per creaturam irrogata ob vilitatem offendentis majorem gravitatem non intensivè, sed extensivè fortiretur. Quemadmodum perfectiones creaturarum Deo addita quid perfectius intensivè non faciunt; quia Dei perfectio infinita supponitur; etsi forte extensivè quid perfectius facere supponeretur. Quamquam tamen, ut fatear quod res est, nihil illis argumentis tribuendum; quæ nedum falsa, sed & impossibili, atque insulsa hypothese admittuntur. Quid vero magis insulsum, quam Deum comminisci, qui alterum Deum offendat?

Ea statione, utpote iniquiori, pulsati nonnulli, alio confugiunt, ut Christi Satisfactioem, si minus æquam, saltem abundantem, atque infinitam inficiantur. Enim vero, inquit isti, si Christi Satisfactio excedit gravitatem offensa, injuste eam Deus postulat in solutionem delictorum: Persona enim offensa satisfactioem irrogatæ injuriæ parem duntaxat exigere potest, non excedentem. Quibus reponimus e vestigio, Deum æquam tantum Satisfactioem a Christo Domino exegisse; nihil amplius per sese, ac summo jure postulasse; sed ex accidenti tantum evenisse, ut Satisfactio Christi abundaret, ratione Dignitatis Personæ satisfaciendæ, quæ æqualis satisfactioem duntaxat capax esse non potest. Eo plane modo,

quo

quo dicimus, veniale peccatum æterna poena dignum non esse; per accidens tamen æterna in Inferis poena plecti, quia in Persona æternis cruciatibus propter mortale peccatum addicta reperitur.

Sed hæc levia sunt, si cum iis conferantur, quæ ad Christi Satisfactioem infinitatem oppugnandam suis passim commentationibus procedunt. Alii hoc paralogismo pugnant: Christi Merita satisfactoria quadam compensatione, præmioque exhauriri possunt: Non sunt igitur infinita. Id vero hoc pacto probant. Si Pater Æternus intuitu Meriti Christi Carnem fumeret, iusta profecto compensatione, præmioque exhauriretur: Præmium enim æqualis valoris obtineret. At non advertunt subtiles Disputatores, non eam esse infiniti Meriti conditionem, ut nullo præmio etiam infinito compensari possit; sed ut nullo finito præmio exhauriatur. Incarnatio porro Patris, si fieret Christi Meritorum intuitu, præmium infinitum censeretur; nihilque idcirco mirum, si Christi Meritum exhauriret. Res exemplo liquefit: Potentia Generativa Patris Æterni infinita profecto est; & hæc tamen Generatione Verbi ita plene exhauritur, ut repugnet proflus; alterum ab eo Filium generari. Quid ergo mirum, si Christi Domini Merita infinito accepto præmio exhaurirentur? Aut quid inde ad ejus infinitatem enervandam consequens esset?

Alii rem sibi videntur expeditius conficere, Christique Meritorum infinitatem solidius oppugnare, dum ajunt: Rem non ceneri simpliciter infinitam, si ex duobus coalescat, quorum unum duntaxat infinitum sit, alterum vero finitum: quo jure corpus illud infinitum non esse censeretur, cujus longitudo foret infinita, si ejus fortasse profunditas finita duntaxat esset: At Satisfactio Christi, inquit, constat etiam ex valore a Gratia habituali petito, quæ simpliciter infinita non est: Non est itaque Satisfactio simpliciter infinita, licet valor a Persona Verbi petitus censeretur infinitus. Et id rursum nullo negotio diluitur. Quamquam enim res non censeatur simpliciter infinita, si ex duobus coalescat, quorum unum duntaxat infinitum est, alterum vero finitum, dum ea finita pars in infinita non continetur; secus tamen se res habet, si finita pars in infinita continetur. Jam certo certius est, in Merito Christi valorem ex habituali Gratia, aliisque Capitibus orientem in eo eminenter contineri, qui ex Verbi Unione proficiscitur, Equis vero dicat, infinitum ex finiti accessione sua infinitate defraudari?

Sed inquit: Persona Verbi non tribuebat Valorem Christi Operibus, nisi ut Unita Humanitati: At ut unita Humanitati non nisi Valorem finitum tribuere poterat; quia non infinito, sed finito modo Humanitati conjuncta erat. Non itaque valor infinitus ex infinita Christi Persona derivatur. Id vero exemplo ex Visione beatifica petito adstruere sibi putant. Licet enim, inquit, Essentia Divina in ratione speciei intelligibilis infinita sit; quia tamen finito modo, & juxta mensuram Luminis Gloriæ intellectui beato conjungitur, illum non determinat, nec potentem reddit ad Visionem infinitam eliciendam.

Sed & id minus feliciter excogitatum. Quamquam enim Persona Divina valorem in Christi Domini Opera non transfundat, nisi quatenus Humanæ Naturæ conjungitur unione quidem finita, ac limitata; nihil tamen id obest, quominus valorem infinitum transfundat. Quia unio hæc in finitæ conditionis duntaxat est; Conditio vero finitæ infinitatem formæ moralis impedire non potest. Quocirca minus appositum est exemplum ex

Visione beatifica desumptum: Quia Lumen Gloriæ, juxta cujus mensuram Essentia Divina intellectui creato unitur in Patria, non nuda conditio reputatur, ad Deum videndum desiderata; sed ratio propria videndi. Addi etiam ad Solutionis cumulum potest, unioem Humanæ Naturæ ad Verbum, si minus physice, saltem moraliter esse infinitam; cum Humanitas infinite ex ea Unione sanctificetur.

Jam vero, si ad ea incommoda, quæ ex Christi Satisfactioem infinitate derivari Scorsim putant, animam intendamus; vereor ne turpius hoc ipso ex Capite causa decidant. Quod enim illud est, quod nobis obtrudunt: si Christi Satisfactio infinita esse, consequens foret, ut unico primo actu totius Humanæ Generis debitum perfolvisset: Id scilicet incommodum ii putant, quod nos, uti certissimum propugnamus; quodque Ecclesiæ Patres sexcentis plus minus locis affirmant. Neque enim obest, quod illi reponunt, Humanæ Generis Redemptionem non unico primo actu a Patribus tribui, sed obitæ Morti, & toleratæ Passionis. Duo enim in Christi Satisfactioem fecerunda veniunt; quantitas pretii perfoluti, & deputatio seu ordinatio solventis. Quantitatem pretii vel unico primo actu solutam dicimus, Patribus ita firmiter statutis: Verum quia Christus gloria Patris promovendæ cupidus, majorisque erga homines Amoris exhibendi zelo permotus non singularem aliquem actum ad cumulatum Humanæ Generis Redemptionem voluit deputare; sed omnes in universum ad Mortem usque ad Redemptionem nostram ordinavit; inde factum, ut completæ Humanæ Generis Liberatio, perfecta que, ac rigorosa Satisfactio, obita solummodo Morte, ac Passione tolerata, facta dicitur. At de his jam satis a nobis dictum.

Novam die proxima Controversiam auspiciamus, in Scholis admodum ventilatam: num Christus, quem sufficienter, imo & abundanter Satisfecisse monstravimus, ex rigore Justitiæ, ac secundum stricti juris Apices Satisfecerit? Quæ nobis in hac controversia sententia sit, sequenti exercitatione aperiemus.

PRÆLECTIO V.

Christus Dominus secundum strictos juris apices pro noxis hominum offenso Deo Satisfecit.

NUM Christus secundum strictos juris apices Satisfecerit; questio est Theologos inter, non sine stomacho, agitata; sed ab ea, de qua diximus hæcenus, dum Christum æque, & abundanter Satisfecisse probarem, longe diversa. Plus etenim ad Satisfactioem stricti juris, quam ad æquam Satisfactioem Theologi postulant. Ad eam, de qua paulo ante dicebamus, satis est, si iustum, æquumque pretium perfolvatur; ad istam, de qua dicturi hodie sumus, exigitur insuper, ut creditor eam acceptare, ratamque habere modis omnibus teneatur. Contingit enim plerumque iustum offerri pretium, nec tamen creditorem ad illud ipsum acceptandum teneri; quia ab exercitio commutationis abstinere potest: Ut si viginti aureos ad pallium emendum exhibeam, æquum certe pretium offeram; nec tamen idcirco Mercatorem adigam, ut aureos acceptet, tradatque pallium, si vendere re ipsa nolit. Dum ergo in præsentia controversimus, num Christus secundum juris apices Satisfecerit, id inquirimus unum, num Christus tale, tantumque pretium solverit, ut illud ipsum Deus acceptare deberet.

Qua-

Quatuor dotibus fiat ea Satisfactio stricti juris; de quibus non parum Theologi digladiantur, quo pacto in Christo Domino inveniatur. Prima est: ut Satisfactio alteri fiat: cum enim actus iustitiæ sit, in alterum exerceri necesse est. Secunda: ut ex bonis propriis fiat, non creditoris; alias non Satisfactio erit, sed debiti relaxatio: ut si Petro centum debeam nummos aureos; is vero totidem mihi largiatur, ut debitum solvam, non tam ego solvisse debitum, quam is relaxasse dicendus erit. Tertia: ut gratia creditoris non innitatur; quantum enim gratia accedit, tantum iustitiæ detrahitur; hic vero de Satisfactione disputatur, quæ summo jure fieri dicitur. Quarta demum: ut ex bonis alias indebitis fiat: si cui enim jure mutui centum aureos debeam, a quo subinde agrum centum aureorum emam; certe summo jure pro agro mihi dividendum non Satisfaciam, si centum duntaxat aureos ei numerem. Hos enim ille pro mutui antecedentis, non pro agri solutione, si libuerit, acceptabit.

In ea ergo, quæ de Christi Satisfactione secundum juris apices, agitur controversia, rota ex recidit difficultas; nam iis quatuor dotibus steterit. Quod ubi semel in aperto fuerit, Christus secundum strictos juris apices Satisfecisse dicendus erit.

Quod primam dotem attinet, ea statim obviam venit non modica difficultas, quo pacto Christus alteri Satisfecisse dici possit. Erat enim Deo, totique Trinitati per peccatum hominum injuria irrogata: Deo itaque totique Trinitati Christum Satisfecisse, compertum est. At is Deus erat, alteraque Trinitatis Persona: sibi igitur Satisfecisse dicendus erit. Neque enim Veteres illi Theologi audiendi, qui Christum soli Deo Patri, atque adeo alteri tantum Satisfecisse distabant. Ea etenim ab Scholis exolevit opinio, quæ in alterutrum absurdum necessario recidit: mirum vel soli Deo Patri, non itidem Filio fuisse per peccatum hominum injuriam irrogatam, quod nemo falsam esse non fecit; aut nullam secundæ Personæ Satisfactionem fuisse exhibitam; cum ei nihilofecius irrogata injuria fuerit. Neo iis e contra dandæ aures; qui, ut Christi Satisfactionem alteri factam ostendant, Christi Humanitatem ejusdem Divinitati Satisfecisse reponunt. Non enim nuda Humanitas Satisfecit, sed Christus ipse totus & integer, Deus & Homo, cui cum unica Divina Persona insit, unde actiones Satisfacientes proficisci possunt, perperam ad nudam Humanitatem, qua Divinitati Satisfecerit, recentiores ii Theologi confugerunt. Iis igitur præclusis effugiis inapiter excogitatis, nodum feliciter extricant, qui ajunt, Satisfactionem alteri factam abunde censerit, modo Naturæ, tamen non Personæ distinctione intercedat; Christumque idcirco alteri Satisfecisse, quia, licet inter eum, ut Satisfacientem, & Deum, cui sit Satisfactio, distinctio Personæ non occurrat; stat tamen diversitas Naturarum. Id porro abunde sufficere multis ostendo, nequis etiam me putet peregrina Suffragia quaesivisse. Primo: quia sola distinctio Naturarum, eadem licet remanente Persona, distinctionem juris præ se fert; cum & diversas Voluntates præ se ferat: Ubi porro distinctio juris intercedit, iustitia exerceri potest. Secundo: quia non minus Religio, & Obedientia alteri sunt exhibendæ, quam stricta iustitia in alterum exercenda: porro sola distinctio Naturarum, una licet stante Persona, abunde, in Christo sufficit, ut is obedisse Deo, eidemque Religionis cultum exhibuisse dici possit; quid ni ergo sola distinctio Naturarum factis erit, ut alteri Satisfecisse intelligatur? Tertio: quia nulla major inter Satisfacientem ex ju-

re, & illum, cui Satisficit, distinctio postulat, quam inter servum, & Dominum: porro sola in uno supposito distinctio Naturarum factis in Christo fuit, ut Christus secundum Naturam assumptam Dei servus vocitetur servitute naturali, juxta Davidicum illud: *Ego Servus tuus, & Filius Ancillæ tuæ*: Ea itaque pari ratione sufficere ad stricti juris Satisfactionem exhibendam.

In secundam conditionem a Theologis constitutam, ut nimirum Satisfactio non fiat ex bonis Creditoris non levis pariter militat difficultas; Christus siquidem per actiones creatas Satisfecit; at illæ sub Dominio Dei sunt, qui in ea creationis, & conservationis titulo jus obtinebat: quin etiam actiones illæ Satisfaciendi Virtutem ex Divini Verbi Persona repetebant: at Personæ quoque Verbi Satisfactio facta dicitur: alienis itaque bonis, ac ipsius maxime Creditoris Christi Dominus Satisfecit. Non igitur summo jure Satisfactio facta est. Mirum quantum sese hoc loco Theologi torqueant, ut ab eo se laqueo liberent. Hunc ego brevi responso extricabo hoc pacto. Tamen repugnet, Satisfactionem stricti juris ex iis bonis fieri, quæ sub Dominio peculiaris creditoris sita sunt; nihil atamen vetat, ex iis bonis fieri, quæ sub dominio generali creditoris inveniuntur. Hinc subditus Domino suo summo jure Satisfacit ex ipsis bonis, quæ sub ejus directo dominio possidentur. Quia qua ratione causa universalis peculiaris causæ Virtuti non officit; ita nec generale dominium peculiaris dominio repugnat. Cum itaque Christus etiam ut Homo liberæ polleret arbitrio, propriumque in sua actus dominium exerceret; tamen actus illi generali Dei dominio subderentur, nihil plane obstat, quominus iis Deo ipsi Satisfecerit. Er certe, si generale Dei dominium Christi Domini actibus obesser, quominus ille Deo summo jure Satisfecerit; idem illud profecto obesser, quominus & nos cuiquam alteri homini Satisfaceremus. Uti enim ex bonis creditoris Satisfactio fieri non potest, ita nec ex bonis alienis fieri valet; sed ex iis duntaxat, quæ persona Satisfacientis re ipsa sunt. Numquam ergo alteri Satisfacere possemus ex stricta iustitia, cum nihil cuiquam possumus impendere, quod generali Dei dominio non subest.

Tertia conditio ad strictam Juris Satisfactionem desiderata hoc etiam pulsatur ariete: Postulat stricti juris Satisfactio, ut non imitatur gratiæ creditoris: At Christi Domini Satisfactio imitatur Dei creditoris Gratia, Gratia scilicet Unionis Hypostaticæ, unde Christi actus Valorem obtinent infinitum, cujus ope Satisfecit: Non itaque stricti juris Satisfactio illa fuit. At & id facile diluitur. Duplicem scilicet distinguimus gratiam creditoris, antecedentem unam, quæ jam transit in proprietatem recipientis, & alteram consequentem. Isthæc quidem, non item illa, Satisfactioni stricti juris officit: Si etiam ego cuiquam centum aureos gratuito conferam nude, ac sine onere; tum vero deinceps idem ille quidpiam emere a me ipso velit; nunquid, amabo, ex centum aureis jam ante a me susceptis pretium erogare mihi non poterit? Ita sane: quia & illos gratuito susceperat, & illius proprii facti fuerant. Sacus porro se res haberet, si quo ipso tempore empta rei pretium soluturus erat, pecuniam eidem numerasset, ut ex hac ipsa mihi solveret: sic enim simulata venditio esset, & vera largitio. Christus ergo stricto jure Satisfecisse censerit potest; quia Gratia Unionis, qua ejus Satisfactio nititur, omnibus modis antequam Satisfactionem, eidemque in antecessum propria facta est.

Quarta demum conditio superest, cujus non ab-

abimiliter occasione hoc argumentum regeri potest. Stricti juris Satisfactio ex iis bonis prestanda est, quæ aliis titulis creditoris minime debeantur: At Christi actiones omnes, ac passiones Deo multis aliis titulis debebantur; Gratiudinis scilicet, Religionis, & Obedientiæ. Quamquam enim is Sponsor noſter, ac fidejussor non fuisset, nec nostram in sese Causam suscepisset, Deo nihilofecius cultum, honoremque debuisset, tum pro suprema Dei in omnes Excellentia, tum etiam ob ingentia beneficia Humanitati collata. Non itaque stricto jure Satisfecisse dici potest.

Cui reponimus, Satisfactionem stricti etiam juris esse posse, tamen si fiat ex bonis aliunde debitis, si alii illi tituli, quibus ea bona debentur, ad alias Virtutes spectent, atque in eandem materiam recidant. Tunc etenim unica solutione titulis omnibus fieri satis potest; tamen res aliter se habere, si alii forte tituli ad eandem iustitiæ speciem attinerent; & debiti materiam auferent. Res exemplo comperta fiet. Si centum aureos Petro debeam; primo ratione contractus venditionis, quia domum mihi vendidit: secundo titulo obedientiæ, quia mihi a Principe iustum est, ut debita solvam; tertio ratione misericordiæ, quia is centum illorum aureorum penuria ad summam egestatem adactus est; profecto unica centum aureorum solutione titulis omnibus Satisfaciam; quia tituli illi tamen numero plures, in eandem materiam recidunt; nec faciunt a me plura deberi, sed idem pluribus titulis. Pari forte licet Christi Domini actus titulo Religionis, Gratiudinis, & Obedientiæ Deo Optimo Maximo deberentur; quia tamen tot illi tituli in eandem materiam recidunt, potuit plane Christus iisdem illis actibus Deo ipso titulis omnibus stricto jure Satisfacere.

Quid ergo? (repones) si sic est, si Christi Satisfactio juxta strictos juris apices fuit, Deus ergo ad eam acceptandam obligatione iustitiæ tenebatur: at id omnino falsum; cum nullam in Deo iustitiæ commutatam reperire liceat; solaque fidelitate, ac veracitate sua ligari possit: non ergo summo jure Christus Dominus Satisfecit.

Consecutionem disſidentur Theologi bene multi; qui licet in humanis contractibus acceptandi necessitatem oriri putent, ubi stricti juris solutio exhibetur, nequaquam tamen in Deo, quem ratione supremi Domini acceptandi necessitate liberum arbitrantur; solaque idcirco fidelitate sua factum existimant, quod Christi Satisfactionem acceptarint.

Longe ego aliter sentio, qui licet Deum erga nos sola fidelitate adstringi putem, fecus tamen erga Christum hominum Redemptorem: eo maxime titulo, quod is Deus esset, pretiumque modis omnibus æquum, atque excedens rependerit, iustique apices per omnia servavit. Unde & Sacris in Litteris Christi Domini Satisfactio Emptionis, Redemptiois, ac Pretii titulis insignitur. Imo D. Augustinus *Enarrationes in Psal. 88. Serm. 2.* eam commutationis nomine nuncupat, ad ea Verba: *Expobraverunt commutationem Christi sui*. Commutatio porro strictæ iustitiæ pars est: Deus ergo ad Christi Satisfactionem acceptandam tenebatur.

Neque verendum, ne id Supremo Dei Dominio repugnet. Supremo quippe Dominio fit, ut Creaturæ puræ obligari non possit; quamquam Homini Deo nulla sui injuria obligetur. Quid etiam, si dicamus, supremo Dei dominio obesse obligationem absolutam, minime vero hypotheticam; a conditione scilicet ab ipsomet Deo posita dependentem. Sic etenim fit, ut obligatio in Deo

Serry Tom. IV.

Voluntatem, ut in primam radicem, ultimo refundatur. Sic itaque Deus nulla externa solutione absolute ligandus erat: at ubi semel exhiberi sibi solutionem voluit ab Homine Deo, secuta inde est acceptandi necessitas, ac summi juris obligatio. Quemadmodum enim liberum Deo est, ut hominem Gratia sua donet; cum vero Gratia donare tenetur, si eum saluum efficaciter velit; nec tamen idcirco Supremi Domini iuribus excidit, quia non nisi libere vult salutem homini impertiri; ita nec Supremi Domini iuribus excidit, dum Deo Homini Satisfacienti obligatur; quia & hoc ipsum libere voluit, ut Deus Homo Satisfaceret; ac nisi voluisset ipse, numquam Deus Homo Satisfecisset. Et hæc de Christi Satisfactione dicta sufficiant.

De motivo Incarnationis crastina luce disputabitur.

PRÆLECTIO VI.

Sola redimendi hominis causa Humanitatem a Divino Verbo fuisse assumptam, statuitur.

Quænam Divino Verbo carnis suscipiendæ causa fuerit; num una redimendi hominis ratio; disputare Theologi solent. Sunt enim vero non pauci, qui unico redimendi hominis studio, Deum factum hominem putant, adeo ut nullo hominis stante peccato, carnem nullatenus induisset. Alii qui subtilitatis titulo gloriantur, diversam prorsus viam ineunt. Christum quidem, nullo hominis stante peccato, carnem passibilem supplicis, ac morti tandem addendam nequaquam assumpturum fuisse ultro consentiunt; carnem nihilominus gloriosam assumpturum existimant, in qua non homines quidem redempturus esset, nullus hac in hypothefi redemptiois indigos, sed inicitus amicos. Ea de re, uti de novo invento, sibi plaudunt; at prorsus immerito; cum hanc ipsam opinionem in antecessum, uti probabilem, exposuerit Doctor Angelicus in 3. sent. dist. 1. quæst. 1. art. 3. eamque subinde 3. p. sum. Th. quæst. 1. art. 3. repudiarit. Quare, si quæ laus Scholæ Subtilis in ea tutanda sententia, hæc una certe esse potest, quod factum spurium Angelici Doctoris a parente jam dimissum adoptarit, aluerit, informarit.

Porro dum hæc summo studio Theologi disputant, Dei decreta atque consilia, qualia re ipsa fuerint, nobisque sacris ex Litteris innotescunt, dimetiuntur; non qualicumque efformari a Deo potuerint, si fecus ipse voluisset. Nec enim ullus hominum fuit, qui seire certo poterit, quid Deus esset facturus, si nunquam homo peccasset: quid æterno consilio, atque decreto statuisset, si primævam innocentiam servasset hominum Prototypæ Adam. Quid ergo re ipsa decreto sanxerit disputamus; non quid alias sancire poterit. Quocirca id libere pronanciamus: Deum usque adeo peccati delendi, ac redimendi hominis gratia, Verbum suum futurum hominem statuisse, ut nullo prorsus modo, ac nec impassibili quidem in carne venisset, si nunquam homo peccasset, & primævam innocentiam exuisset.

Ac re ipsa quidem, nisi velimus ariolari ac fingere pro arbitrio, æterna Dei consilia non nisi Scripturarum ac Traditionis ope nosse possumus: iis quippe unis suam hominibus voluntatem testari voluit. Hæc porro duo si consulamus, unam susceperit a Deo carnis rationem invenimus, peccatum hominis diluendum. Scripturarum Elenchum & Indicem faciam, si loca singula proferre velim:

B b

velim: *Matth. 18.*, & *Luc. 19.*: *Venit enim Filius hominis querere, & Salvum facere, quod perierat: Joan. 3.*: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam: Luc. 5.*: *non veni vocare justos, sed peccatores. Rom. 3.*: *Hanc proposuit Deus propitiationem per fidem: propter remissionem peccatorum delictorum: I. ad Timor. 1.* *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere: Et alia id genus pene sexcenta: cum tamen nec vel unum Scripturæ contextum invenire liceat, ubi alio consilio Christum venisse vel leviter innotuat. Quare si aliam quis rationem causari velit, fateatur necesse est, se aeterna Dei consilia non ex Divinis Litteris, sed ex proprio cerebello rimari, & comminisci.*

Sed & Patres distinctiunculam omnem amovent: quippe qui nedum Christum redimenti peccati causa venisse ajunt; verum etiam nullam aliam veniendi rationem fuisse significat; ut ea plane femota nequaquam venisset. Luculentiora testimonia, cæteris omissis, indigitabo.

Irenæus lib. 5. adversus Hæreses cap. 14.: *Si enim non haberet, inquit, caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet Sanguis justorum inquiri, nequaquam Sanguinem habuisset Dominus: Origenes homil. 24. in Numeros: Pone, inquit, non fuisse peccatum, si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnoscere fieri: Athanasius orat. 3. contra Arianos super illa verba In principio erat Verbum: Nam etiamsi, inquit, opera condita non fuissent, aque tamen erat Verbum Dei, & Deus erat Verbum. Ceterum ut fieret Homo, nunquam desinitum fuisset, nisi Hominum necessitas ejus rei causam præbuisset. Quibus ex eadem Ecclesia Græca concinuat Gregorius Nyssenus orat. in Christi Nativitate, S. Gregorius Nazianzenus orat. 36. S. Cyrillus Alexandrinus Dialogorum Lib. 5. de Trinitate; S. Joan. Damascenus Lib. 3. de Fide Orthod. cap. 6.*

Nil minus luculenter Latine Ecclesie Patres suffragantur: S. Ambrosius lib. de Dominica Incarnationis Sacramenta cap. 6.: *Que erat causa Incarnationis, nisi ut caro, que peccaverat, per se redimeretur. S. Augustinus Serm. 174. de verbis Apostoli, cap. 2. expendens illud Lucæ 19.:* *venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat; subjungit: Si homo non periisset, Filius hominis non venisset: Et Serm. 175. cap. 1. nulla causa fuit, veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: Et Enarratione in Psalm. 36. Serm. 2.:* *Si tu o Homo non dimittes Deum, non fieret pro te Deus Homo. Quibus calculum adjiciunt S. Gregorius Magnus Lib. 4. in primum Reg. cap. 1. n. 7.: Et quidem nisi Adam peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad penitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata desissent, cum venire non oporteret. S. Leo Serm. 3. de Pentecoste: Si enim Homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in sue honore Natura mansisset, nec Diaboli fraude deceptus, a Lege sibi posita per Concupiscentiam deviasset, Creator Mundi Creatura non fieret. Et alii Patres bene multi, quos longo ordine recensere, otiosi proflus hominis videretur.*

Non me fugit responsuros Theologos de Schola subtili, ita locutos Ecclesie Patres; nullamque, nisi peccatum eluendum, Dominici Adventus rationem indiguisse, quod de Christo passuro loquerentur.

Sed, inquit, si Patribus perspectus fuisset novus ille, quem Scoticæ comminiscuntur, venien-

di modus in carne scilicet impassibili, & invictoribus amicorum gratia; cur nemo omnium inventus est unus, qui id vel obiter indigitarit? Cur nemo omnium Scoticæ distinctione usus perhibetur? Itane illi minus Scoto vidisse putandi erant? Sed & quotquot istas argutias pro arbitrio fingunt, nedum eliquatissimis Patrum oraculis illudant; sed mendaces illos nobis produunt. Quod enim duobus modis fieri potest, si uno fortasse modo non fiat, altero tamen reipsa futurum est, futurum universum, & absolute negari non potest; cum absoluta negatio modum omnem eliminat. Si ergo homine non peccante Christus in carne saltem impassibili venturus erat, tamen non in carne passibili, falsa profecto esset universalis illa, indiscreta, & absoluta Patrum assertio, qua Christum ea in hypothese minime venturum affirmant.

Addiderim ego, Nicænum Symbolum distinctiunculam illam exfuisse. Duo quippe distincti, Christi scilicet Incarnationem, & ejusdem in Crucis passionem: Utramque vero redimenti hominis causa factam significat: *Qui propter nos homines, inquit, & propter nostram Salvum descendit de Cælis, & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, & Homo factus est.* En primum: *Crucifixus etiam pro nobis.* En alterum. Ut plane intelligamus, utramque nostri causa factam esse.

Jam si et paulo penitus dispungamus, quæ in oppositum proferuntur, tanto firmitus statuta Veritati Suffragium dabimus, quanto levioribus ad eam impetendam fundamentis additurus. Instat Achilles illis est, quod ex Ordine Divinorum Decretorum repetant Argumentum; istud videlicet toties decantant: Christus ante omne prævium Adæ, Hominumque peccatum prædestinatus est futurus Homo: igitur futurus erat homo, etiamsi nullum fuisset Adæ peccatum. Antecedens congectis Scripturarum Oraculis adstruere sibi putant, quibus Christus ante omnia præfixus, & initium viarum Domini vocatur: tum ea maxime ratione, quod Christus, utpote finis omnium hominum, ante ipsos homines, & ante idcirco ante omne peccatum hominum decerni debuerit.

Hæc omnia nos larga manu concedimus, damusque, ut libet, ut lubet, Christum ante omne prævium Adæ peccatum prædestinatum esse futurum hominem: at Consecutionem inficiamur. Igitur futurus erat homo, etiamsi nullum fuisset Adæ peccatum. Id, inquam, inficiamur non secus, ac Thomistæ nostrates hujus Argumenti, in causa Prædestinationis factitari soliti, Petrus ante omne prævium meritum prædestinatus est futurus Sanctus: igitur futurus esset Sanctus, si nullum haberet meritum: concessio antecedenti, consecutionem omnino negant; quia tamen prævia merita non fuerint causa Prædestinationis, media nihilominus reputantur, sine quibus Deus executioni demandari non vult Decretum Prædestinationis. Idem in præsentia de Christi Prædestinatione statuendum existimamus. Demum enim, Christi Prædestinationem nequaquam ex futuri peccati prævisione dependisse; sed contra potius, Christi prædestinationem cujusvis peccati præscientiam anteveritisse; factis id nobis esset, peccatum medium extitisse, sine quo noluit Deus Incarnationis Decretum executioni demandari; ut inde merito colligamus, Christum nequaquam futurum hominem, si nullum fuisset Adæ peccatum.

Neque officit, si reponant, prius sine posteriori esse posse; adeoque Incarnationis Mysterium etiam sine peccato futurum fuisse, si aeterno Dei Decreto prædestinatum est ante peccatum. Falsum quippe est, prius sine posteriori esse posse, dum quo-

quovis in ordine non est prius: porro Mysterium Incarnationis, intentionis duntaxat ordine, non tamen executionis prius est; quin & a posteriori, nempe peccato, saltem velut a conditione, dependet, sine quo non esset executioni demandandum, uti mox de Prædestinatione meritis comparata dicebamus.

Alterum ex Christi Dotibus, ejusdemque Incarnationis fructibus repetunt Argumentum: Christus siquidem sacris in Litteris nedum Redemptor hominum peccatique victor vocatur; verum etiam Pastor, Magister, Rex, Legislator; qui tituli ab officio Redemptoris minime pendunt: Ea igitur officia impleturus venisset, tamen nullum extitisset Adæ peccatum, cujus causa Redemptoris munus obiret. Non ab similitur, inquit illi, uberrimis Incarnationis fructibus adnumeratur Divinorum Atributorum Manifestatio, Universi perfectio, exaltatio Humana Natura, Gratia denique consummatio. Quid ni ergo Christum tot illos divina maiestate dignos fructus suo ad homines adventu laturum fuisse dicamus; tamen nullum stante peccato nullam esset homini redemptionem allaturus?

Minus ista nos movent, nec a statuta propositione divellunt: Eos quippe titulos, Pastoris, Magistri, Regis, Legislatoris ab uno Redemptoris titulo pendere contendimus, & ad peccati remedium pertinere judicamus. Ut quid enim is hominum Pastor effectus est, nisi quia a Deo Segreges peccando effecti sunt? Ut quid Magister, nisi quia Veritatem peccando deseruere? Ut quid Rex, nisi quia Dei Imperium delinquendo detraherant? Ut quid demum Legislator, nisi quia primigeniam Legem peccando violarent? Quare nullo stante peccato, Deus in propria Natura subsistens, & Pastor, & Magister, & Rex, & Legislator futurus erat: nullaque ratio postulabat, ut iis officiis in assumpta Natura fungeretur.

Idem de Incarnationis fructibus judicandum. Illos nimirum ad humani generis redemptionem revocari, quia Deus Bonitatis & Misericordiae suæ thesaurus explicuit. Aut certe, si tot illos fructus uberrimos ad primum illum referri omnino neget; fructus esse dicemus, ut Schola vocat, secundarios, minus præcipuos, minusque necessarios; quorum causa Deum Hominem fieri, nulla necessitas postulabat.

Negotium facessere viderit aliquod D. Augustini, cæterorumque Patrum opinio, qui Mysterium Incarnationis primo Parenti in ipsa sui creatione revelatum fuisse docent, cum tamen is futuri peccati sui præsciis non esset; Unde consequens esse videtur, ut Christi Domini Incarnatio ab Adami peccato nulla ratione dependeat.

Consecutionem negat Doctor Angelicus 3. part. quest. 1. art. 3. ad 5. inquit: *Dicendum quod nihil prohibet, alicui revelari effectum, cui non revelatur causa. Potuit igitur primo Homini revelari Incarnationis Mysterium, sine hoc, quod esset præsciis sui casus.*

Ergo, inquit; anxius, atque adeo tristes haberebat Adam, utpote qui Incarnationis sibi notæ causam penitus ignoraret: Notæ quippe effectum, enascitur desiderium causæ dignoscendæ. Anxium autem, tristitiamque habuisse Adamum, non patitur status innocentie felicitas.

Sed & id consequens esse distinetur: tristitiam ex ea ignorantie natam negamus omnino: neque movet, quod opponunt; noto nimirum effectu, dignoscendæ causæ desiderium enasci: Id enim de iis duntaxat causis verum esse Theologi movent, & quibus effectus ex se, atque intrinsece

Serry Tom. IV.

pendeat; secus de illis, a quibus sola Dei libera Voluntate effectus pendere supponitur. Ceterum dum Incarnationem ex Adami peccato pendere diximus, non ea mens nostra fuit, quasi ab eo intrinsece pendeat, & ex se; sed quod ita libera Dei Voluntate Sacris in litteris nobis expressa sancitum est, ut hæc illius occasione periceretur. Hæcenus de divinæ peractæ Incarnationis motivo.

Die proxima Controversiam agitabimus, nun Christum Incarnationem ipsam promereri potuerit.

PRÆLECTIO VII.

Christum actibus suis promereri Incarnationem, & Virginis Maternitatem minime potuisse, demonstratur.

Controversiam aggredimur non in recentium Scholarum umbraculis natam, sed olim a Patribus summo studio adversus Nestorianos, ac Pelagianos agitatam: num Christum piis Operibus Incarnationem suam promeruerit. Cum enim duas in Christo Personas Nestoriani fabularentur, Christumque quadam temporis successione hominem prius extitisse dicerent, quam a Verbo in Divinæ Naturæ communionem assumeretur; id quoque primario error! addidere, eum piis operibus bonis suam illam a Verbo Dei assumptionem meruisse. Cum etiam Pelagiani gratiam piis nostris operibus promereri ex nobis blasphemarent, & ab Augustino non semel Christi exemplo premerentur, qui Unionis gratiam bonis Operibus nulla ratione promeruerat; in Nestorianorum partes, ut Augustini Argumentum effugerent, declinarunt. Hinc nota illa Historicis omnibus Nestorianorum, & Pelagianorum ærta societas; ut quamvis jam grassantibus Pelagianis Nestoriani proruperint; Pelagianam nihilominus Hæresim ab Nestoriana enatam faterentur univèrsi; quod nimirum ab ea Vires, quibus sese tueri possent, accepisset. Hinc earum illud longe celebratissimum D. Profperi:

Nestoriana lues successi Pelagiana, que tamen est Utero progeniata meo: Infelix misere genitrix, & filia nata, Prædixi ex ipso germine, quod peperit.

Veterum hic nomenclam canerem, si errorem illum, ut est a Nestorianis, ac Pelagianis præformatus, consutandum aggrederer: actum enim non sine fastidio reagerem, utpote qui Nestorianum errorem de duplici in Christo Persona, quarum una alteram promeruerit, non ita pridem consutaverim; Pelagianumque commentum de Gratia meritis nostris promerenda superiori ætate, dum de Divinis Auxiliis ageremus, cumulatim exagitarim. Quare ad quorundam Theologorum Opinionem consutandam animum, vocemque convertimus, qui cum Dominicam Incarnationem prævis Christi Domini Operibus obtineri non potuisse fateantur; siquidem hujusmodi nulla fuerunt: eo demum se conferant, ut actibus Incarnationem consequentibus Christum Incarnationem ipsam promeritum dicant. Qua de re, ut dicam ipse quod sentio, ita decerno: nempe commentum illud ab Hæresi quidem procul esse; minus tamen cum sanæ Theologiæ principiis coherere; & a Doctore Angelico, cujus se discipulos profitentur, qui ita autumat, immensum abire.

Ab hæresi procul esse, paucis conficio. Idcirco Sancti Patres Nestorianos Incarnationem prævis Christi meritis tribuentes hæreticos iudicabant,

B b 2 quod

quod Christum hominem extitisse, meritiſque abunde dicere antequam aſſumeretur a Verbo. Hinc Gregorius Magnus Lib. 11. *Registri Epistol. Indictione 4. Epistol. 67. ad Quiricum Fidei professionem* Hibernis Episcopis præſcribens, quam lapsus ab Hæresi Nestoriana redeuntibus edendam injungerent, hoc præſertim proſtendum edicit, Christum primo momento conditionis suæ fuiſſe Deum. Porro, quos hic eventulam Theologi recentiores, Christum antea Hominem extitisse, quam Deum nequaquam hariolantur; nec meritis abundasse fabulantur antequam Humanitas aſſumeretur a Verbo; cum omnia ejus merita a Verbo ipſo Humanitatem jam terminante repetenda velint. Ab Nestoriana igitur hæresi procul abſunt.

De Pelagiana idem plane ſtatuimus. Pelagianos etenim, præſertim iſto in capite flagellavit Auguſtinus, quod ultra Nestoriana deliramenta, in qua oblique, ac pene nolentes inciderant, Unionis Gratiæ Naturæ meritis adſcribere non erubescerent. At tantum abest; ut huic luto Recentiores, cum quibus hic agimus, hæreant; ut potius omnia Christi merita ex unionis gratia derivent. Longe ergo etiam ab errore Pelagiano diſcedunt.

Verum, bona pace dixerim, tantum illos ab ſanioris Theologiæ principiis peregrinari. Quid enim, amabo, iſtud eſt: Christus per adſunionem Hypoſtaticam conſequentes, & a Verbo Humanitati jam unito derivatos hanc ipſam unionem Hypoſtaticam promeruit? An non id, quæſo, ſecum omnino pugnat? Eſſatum hocſiquidem in conſeſſo eſt apud Theologos: Principium meriti ſub merito cadere nullatenus poſſe; ſic etenim mereretur, quod nobis eſt ratio promerendi; ac ipſa etiam cauſa ab ſuo effectu progeminaret: Unio enim Hypoſtatica in Christo cujusvis meriti radix, ac principium eſt; niſi fortasse velint, quod nec Religio, nec ipſa Philoſophia ſatis capit, Humanitatem agendi, ac merendi principium eſſe. Repugnat ergo, Christum ſuis actibus unionem Hypoſtaticam conſequentibus Unionem ipſam Hypoſtaticam meruisse.

Et quidem, ut explicatius dicam, meritum alterius proſecto rei meritum eſt; nec aliquid ſemetipſum mereri poſſe; ſic etenim ſui ipſius cauſa eſſet: eſſetque idem ſimul, & non eſſet; quod omnium abſurdum maximum eſt. Igitur non poſſe aliquid mereri Principium, a quo vim habet merendi: Si quid enim ſui ipſius cauſa eſſe non poſſet, multo minus cauſa ſuæ cauſa eſſe poterit.

Rationem alteram nil minus efficaciæ ſuppeditat Doct. Angelicus *Quæſt. 29. de verit. art. 6.*: Meritum, inquit, eſt cauſa præmii; non quidem per modum finalis cauſæ. Sic enim magis præmii eſt cauſa meriti; ſed magis ſecundum reductionem ad cauſam efficienſem, in quantum meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmii diſponit. Id autem, quod eſt cauſa per modum efficienſis, nullo modo poſſe eſſe poſterius tempore eo, cujus eſt cauſa: unde non poſſe eſſe, quod aliquis mereatur, quod jam habet. Et ſane ſecundum ipſa moralis Philoſophiæ Principia, meritum ſe habet ad præmii, uti medium ad finem, via ad terminum, diſpoſitio ad formam, cauſa demum efficiens ad effectum: ac repugnat plane medium ſubſequi ſuam, viam eſſe termino poſteriori, cauſamque effectivam a ſuo effectu præcedi; repugnat igitur, meritum poſterius eſſe termino ipſo, quem promereri fatagimus; adeoque repugnat omnino, Christum operibus ſuis Incarnationem ſubſequentibus, eam ullo pacto meruisse.

Si vero aſſertionem ſuam ita temperent Theologi iſti recentiores, ut velint duntaxat, merita Christi futura, a Deo præſtata, Deum ab æterno moviſſe, ut Incarnationem decerneret; nec ſic quidem laqueum effugient; imo commentum illud ſuum novis difficultatibus implicabunt. Enim vero, merita Christi, ut futura, nequaquam præſideri a Deo poterunt ante decretum Incarnationis perſciciendæ; cum Christi merita intelligi, ut futura non poſſint, niſi eo ipſo, imo & in antecellum, Christus in tempore futurus intelligatur; nec Christus viciffim in tempore futurus intelligi queat, niſi decretum Incarnationis perſciciendæ ſupponatur. Nugas itaque, ac pugnantia loquuntur quotquot eam hujus Figmenti adſtruendi viam ineunt.

Mirum quantum ſe inutiliter torqueant Theologi iſti, ut ab iſis Argumentis ſe expediant. Primum nodum extricare nititur Franciſcus Suarez; principiumque meriti ſub merito cadere poſſe contendit, non abſolute quidem, ſed eo ſaltem in caſu, quo principium meriti conſertur a Deo ſub conditione meriti futuri, ac dependenter ab eo: Uti plane contingit ſæpius, Regem militi equum, & arma tribuere, in præmii, ac ſtipendium futura militiæ equo, & armis exercendæ.

At & id plane abſurdum eſt, principium meriti conſerri a Deo poſſe ſub conditione futuri meriti, ac dependenter ab eo. Eſto enim id, unde meriti valor non oritur, intuitu futuri meriti dari poſſit; minime vero id, unde totus naſcitur meriti valor. Ratio in promptu eſt; quia meritum ſubſequeſ rationem præti habere poſſe reſpectu illius, a quo valorem minime ſortitur; ſecus tamen reſpectu ejus, a quo totum valorem habet. Rurſus dum id, unde meritum minime naſcitur, intuitu futuri meriti datur, nullo pacto ea ſequuntur incommoda, quæ paulo ante notabamus, cauſam ſcilicet ab ſuo effectu prodire; aliaque id genus ſupra memorata: ea tamen dubio procul conſequentur, ſi id, unde meritum vere naſcitur, propter meritum conſerretur. Quare quod obrudat exemplum, equi ſcilicet, & armorum, quæ a Principe militibus conſeruntur uti præmii exercendæ militiæ, a præſenti inſtituto procul abſt; quia virtutis militaris meritum nec ab equo, nec ab armis enaſcitur; ſunt enim hæc adjuvamenta duntaxat, & iſtrumenta militiæ; ſed a virtute Prudentiæ, ac generoſitate proſciſcitur: cum contra valor meritorius operum Christi ab unionem Hypoſtaticam derivetur; in aliis autem hominibus a prima gratia. Quare ſi quid militum exemplo conſicere voluiſſet Suarez, quod præſens inſtitutum attingeret, id illi oſtendendum incumbere; poſſe Prudentiam, ac generoſitatem militi a Principe concedi, ut militiæ bene gerendæ mercedem: quod ſane tam abſurdum eſt, quam quod maxime.

Erit fortasse quod opponat, Veterum nimirum Patrum exemplum, qui ſub veteri Teſtamento ſloraverunt. Patrum enim, Theologorumque ſententia eſt, illos Christi Domini Incarnationem meruisse; cum tamen omnis illorum meriti origo Incarnatio ipſa fuerit: ut hinc conſequeſ videatur, principium meriti poſſe ſub merito cadere. Et id tamen non minus, quam alterum frivolum eſt, duplici de cauſa: primum, quod Patres V. T. Incarnationem ipſam, quæ omnis humani meriti principium eſt, non promeruerint, ſed ejus duntaxat adjuvata, & circumſtantias; neque enim promeriti ſunt, ut Deus Homo fieret, ſed ut Deus Homo futurus adventum ſuum acceleraret: quo vel uno tota objecti argumenti vis elifa eſt. Secundo, quod aliter Incarnatio meritum

ram hominum, aliter meritum Christi principium ſit; meritum ſiquidem humanorum principium eſt Incarnatio moraliter duntaxat, ac meritoſe; quia Deus factus Homo hominibus bona omnia, ac ipſa illorum merita promeritus eſt; Christi vero meritum principium effectivum, ac formale ſuit Unio illa Hypoſtatica; cum ejus operationes Theandricæ a Verbi Divini Perſonæ ut a forma, valorem in eſſe moris inſinitum acceperint. Quare tamen daretur, principium morale meriti ſub merito cadere poſſiſſe; eaque de cauſa poſſiſſe veteres Patres Christi Incarnationem promereri; minime tamen conſequeſ eſſet, Christum ipſum eandem illam promereri quiſiſſe.

Eo immoto, & inconcuſſo ſtatu principio, eliquatam cernitis alteram Controverſiam ab iſdem Theologis agitaram: qua videlicet Christum Dominum, Virginis Maternitatem meruisse opinantur: hoc eſt, meruisse, ut ex Matre Virgine naſceretur. Nudum enim Auguſtinus adverſa ſententia eſt *Lib. de Præd. SS. Cap. 15.* dicenti: Neque enim reſcribitur eſt Christo illa generatio, ſed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu Sancto, & Virgine naſceretur; ſed & ſtatutis Principiſ plane conſcitur. Qui etenim fieri poſſet, ut iſ de Virgine naſci mererit, qui ne naſci quidem mereri poſſet? Iſtud quippe pendet ex altero.

Difficilius fortasse fuerit deſignare, num Maternitatem illam ſuam mererit Virgo Deipara. Et quidem, ſi Patres audiamus, meruisse certum eſt. Sic Ambroſius *Lib. de Virginitate n. 10.*: Quæ (Maria) inquit, digna ſuit, ex qua Dei Filius naſceretur. Hieronymus *epistol. 18. ad Eufroſium de cuſtodia Virginitatis*: Propono tibi Beatam Mariam, quæ tanta extitit puritatis, ut Mater Domini eſſe mereretur. Sic Gregorius Magnus in *Lib. 1. Regnum cap. 1.*: An non motus ſublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertin-

goret, meritum Veritatem ſupra omnes Angelorum Cætos uſque ad Solium Deitatis creavit? Hinc Vulgata illa Eccleſiæ ſupplicatio: Regina Cæli lætare, quia quem meruiſti portare, reſurrexisti, ſicut dixiſti. Si vero rationis ductum ſequamur, minus facile capi poſſet, quo pacto gratiæ meritis ſupra gratiæ ordinem evehit aliquis poſſit. Nam Maternitas Virginis, uti ſcitis, ad ordinem Hypoſtaticum attinet, omnique Gratiæ ſanctificantis dignitatem excedit. Rurſum: omnia Deiparæ Virginis merita a Christo, ut primo fonte, progeminantur; in ipſo enim, ac per ipſum Virgo meruit. Cum ergo meriti principium, ut paulo antea dicebamus, ſub merito cadere nequeat; qui fieri poſſet, ut hæc Divinam illam Maternitatem promeruerit?

Nodum ſolvit Doct. Angelicus Duplicis meriti diſtinctione apud Theologos perſulgata: condigni, ut vocant, merito Maternitatem mereri non poſſit; idque objecta ratio ſatis probat: Quia cum hujusmodi meritum in valoris æqualitate ſit ſitum, nihilque in ordine gratiæ ad valorem Ordinis hypoſtatici pertingere poſſit; conſequeſ eſt, Virginem Operibus gratia elicitis Maternitatem Ordinis Hypoſtatici promereri nequiſſe. Cæterum merito congrui poſſit plane; quia iſtud non ſtricti juris meritum eſt, nec in valoris æqualitate, ſed in honeſta duntaxat decentia ſitum eſt.

Nec obest, quod hic obiter innuebatur, principium meriti ſub merito cadere non poſſe. Verum id quidem; ac nec Virginem quidem ſui ipſius meriti principium meruisse ſupponimus, dum eam Maternitatem meruisse propugnamus. Non enim Maternitas, ſed Christus, cujus eſt Mater, conſequeſ eſt, eam Christum ipſum meruisse, dum ejus Maternitatem promeruit. At de his plus ſatis diſputatum.

TRA.

N O T A:

Plura hic deſunt, quæ ad plenam, integramque Incarnationis Tractationem pertinent. Nobis illa duntaxat reſcripta dantur ſunt. Quæ deſiderantur cætera Auctoris Scripta; quæ extitiffe indubium eſt, ſortis ad alienas manus pervenerunt. Nos quæ habuimus, exhibemus.